



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Quod Concilium in hoc opere, & quam viam secutus sit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

dere inducatanimum. Ea luculenter edocebit
pistola, quam vna cum volumine ipso Canisius
ad Præpositū Borgiam misit his ad literam verbis.

Pax Christi nobis æterna, Admo- dum Reuerende Pater.

*Quod consilium
in hoc opere est
quam viam se-
quuntur sit.*

EX primitias operis mei, quas tarde quidem,
sed utinam mature sat is edam: adeo nihil satius
elaboratum contra istiusmodi sectarios hoc tempo-
re, est in tali arguento conscribi, sed et posse arbi-
tror. Ac primum quidem à Paternitate tua supplex
veniam peto, quod fortasse præter mentem, est scopū
illorum, qui operis huius conficiendi autores mibi
fuere, laborem mihi auxerim, fusi usq; tractarim
propositum argumentum. Nec enim satis habui
cum solis Centuriatoribus dimicare, sed et complu-
res alios præcipuos quidem huius atatis sectarios in
medium quoque pertraxi; et per occasionem impu-
gnandos putavi: vere ut hoc opus de corruptelis
Verbi Dei inscriberetur. Deinde res ipsa monebat,
alios non præteriri, quorum sententias, errores, et
verba Centuriatores amulantur: ne aliqui illi
frustra incusarentur in his, quæ cum aliis commu-
niter



niter docent, maleq; sentiunt. Prodest etiam hac qualiscumque collatio sententiarum in Verbo Dei interpretando, ut rectius cognoscatur confusio, & absurditas, & impietas opinionum, quas nobis inueniunt aduersarij. Et spero futurum, ut saepe lector ex hoc opere quendam animi horrorem induat, prorsusq; detestetur tot, ac tantas istorum abominationes, quas in Euangelica Historia tam impudenter admiscent. Sed fortasse prolixius egi de solo Ioanne. Sit ita, ut hic mihi plusculum indulserim, dum undiq; arripiam, quæ argumenti propositi affinitas, & Hæreticorum vanitas suppeditabat. Illustrauit, ut spero, Ioannis Historiam, adiunctis ubiq; testimoniis Patrum, ut sciant Hæretici, nobis non deesse arma, quibus in huiusmodi personis Euangeliis cum Ecclesia celebrandis, & cōtra nouos Theologos defendendis utamur. Habeo non minorem nunc mihi paratam supellectilem ad Mariae Deiparae Historiam vindicandam, & expoliendam. Et si quosdam hac probationum offendet copia, non deerunt spero, qui probent diligentiam in Dei sanctis glorificandis; præsertim quando nunc maximihil non mordent in istis, & labefactare conantur Hæretici, ut multis Catholicis virulentia sua

.m 3 nego-

negotium facessere videantur. Erunt præterea Ro-
 ma, ut vereor, qui me dicant immodicum fuisse in
 citandis Hæreticorum verbis, & cumulandis sen-
 tentiis, sic ut nemo fortasse, quod sciam equidem, in
 hoc genere accuratius fecit. Verum intelliget Illu-
 strissimus Dominus Cardinalis Varmiensis, aliq.
 viri sapientes in his regionibus bene versati fate-
 buntur hac remedia Germanie nostra morbis ho-
 die grassantibus conuenire: simulq; hac ratione Ca-
 tholicam doctrinam in multis confirmari, & noua-
 torum impietatem, stultitiamq; manifestius prodi,
 & fortius dissipari. Verum, non est cur ego me, &
 librum hunc meum excusem, aut defendam pluri-
 bus. Deum in primis rogo, ut immensa bonitate, gra-
 tiaq; sua suppleat, quod in hoc opere toto confiendo
 à me vel admissum, vel prætermissum est male. Si
Modestia. vero ad sanctissimum Dominum nostrum liber est
 peruenturus, nihil desidero magis, quam pro meis
 peccatis, & negligentiis plenariam indulgentiam
 impetrari. Tua vero Paternitas iure suo quamli-
 bet mihi iniungat pœnitentiam, ea me dignum esse
 nunquam dubitabo. Nunc paucis indicabo quid
 in primis circa hanc Primā operis Partem cupiam
 obseruari, ut ad reliqua, si progrediendum erit,
 mihi